S. RITUUM CONGREGATIO

HYDRUNTINA

Quum nuper in Metropolitana Hydruntina Archidiaconus, qui est prima et unica dignitas, evectus fuerit ad Episcopatum titularem Ionopolitanum, R.mus D.nus Caietanus Caporali eiusdem Metropolitanae Ecclesiae Archiepiscopus a Sacra Rituum Congregatione sequentium dubiorum solutionem humiliter efflagitavit; nimirum:

I. An pontificanti Archiepiscopo inservire debeat in munere Archidiaconi praedictus Episcopus titularis, ad thronum, altare, librum, thurificationem, porrectionem aspersorii et pacis?

II. Quaenam partes in sacris ordinationibus ab eodem Episcopo titulari et Archidiacono explendae sint?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audito voto Commissionis Liturgicae omnibusque accurate perpensis, rescribendum censuit:

Ad I et II. Serventur Decreta in Mechlinien.

24 Februarii 1680 et in Mediolanen. 16 Martii 1833 (1).

Atque ita rescripsit die 12 Novembris 1898.

C. Card. MAZZELLA *Ep. Praenestinus*
L. ✠ S. *S. R. C. Praefectus.*
D. Panici *Secretarius.*

MONITA

I.

Dubium I. Decreti in *Romana* d. d. 12 Ian. 1897 circa Missas lectas de requie permissas in sacellis sepulcreti, sed vetitas in eiusdem sepulcreti Ecclesia vel Oratorio publico, a S. R. Cong.ne reformatum est: ita ut dictae Missae permissae haberi debeant. En Dubium:

I. Privilegium circa Missas lectas de requie ex praefato Decreto (*quod incipit:* **Aucto**) concessum sacellis sepulcreti, favetne sive Ecclesiis vel Oratorio publico ac principali ipsius sepulcreti; sive aliis Ecclesiis vel Cappellis extra coemeterium, subter quas ad legitimam distantiam alicuius defuncti cadaver quiescit?

Resp. reformata: « Affirmative ad 1^am^ partem: Negative ad 2^am^ ».

(1) Decr. in *Mechlinien.* declarat praefata munera Canonico Episcopo non licere. Alterum in *Mediolanen.* definit ad eadem officia Canonicum Episcopum non teneri.

II.

Item : circa distantiam, quae inter altare et cadavera in Coemeteriis vel Ecclesiis sepulta intercedere debet, sequens habetur ab eadem S. R. Cong.ne, authentica declaratio :

« Sacra Rituum Congregatio declaravit tres cubitos esse fere unum metrum longitudinis, atque hanc distantiam sepulcrorum ab altari sufficere. Die 5 Aug. 1898 ».

Nota. Super quo altero monito animadvertant lectores, duo esse in eo declarata : 1. Non esse amplius attendendam trium cubitorum mensuram, sed sufficere ut servetur unius circiter metri distantia : 2. hanc distantiam non amplius intercedere debere, ut lex servetur, inter gradus vel gradum altaris et cadaver sepultum; sed sufficere ut intercedat inter cadaver sepultum et ipsum altare.

QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE

XI.

Quaestio nuper exarsit in quadam Collegiata Ecclesia inter Iulium caeremoniarum magistrum et Parochum, occasione precum, quae recitandae post Missa praescribuntur. Ille enim sustinet post parochialem Missam, utpote privatam, dicendas esse : hic vero in praxi illas

omittit, cum iudicet parochialem Missam, haud simpliciter privatam esse, sed quodammodo solemnem, utpote semi-conventualem, uti ex quatuor luminibus, quae adhiberi possunt, et ex duobus clericis inservientibus patet. Solet insuper Parochus in quovis Sabbato dictis precibus praemittere ex devotione Litanias lauretanas, quibus devotissime populus respondet: quod et caeremoniarum magister censura notat. Sed et versa vice Iulium redarguit Parochus, quod Neopresbytero Sacrum private facienti, aliqua licet cum externa pompa, praescriptas preces omittere permisisset, uti etiam alteri ex Canonicis senio confecto, qui annum quinquagesimum a Sacerdotio, maximo cum exteriori apparatu, celebrans, Missam quoque privatam fecerat. Haec animo recolens praedictae Ecclesiae Archipresbyter, controversiis finem imponendi causa, sequentia dubia cuidam liturgicarum rerum peritissimo viro enodanda proponit, et *inquirit*:

1.° *Quotuplex sit Missarum denominatio, ratione, seu rituum, seu loci, seu astantium, quidque de earum antiquitate in latina et graeca Ecclesia dicendum?*

2.° *Quodnam principium, vi Rubricae, Missam dirigat, quod attinet praescriptas preces, post illam dicendas vel omittendas?*

3.° *Quid de singulis in casu expositis iudicandum?*

SOLUTIO

Ex dissertatione Rev. Dom. Aloisii B. Gately Pontif. Collegii Urbani de Propag. Fide alumni, habita in Ecclesia Congregationis Missionis prope Curiam Innocentianam, die 22 Iunii 1898 ; acta Epitome per R.mum P. Bonaventuram a Collepardo.

I. Quotuplex sit Missarum denominatio, ratione, seu rituum, seu loci, seu astantium, quidque de earum antiquitate in latina et graeca Ecclesia dicendum?

Variae admodum sunt auctorum sententiae circa etymologiam verbi *Missa*. Autumant nonnulli illud ex hebraeo sermone desumptum fuisse, sed non videtur iure posse affirmari ; namque, ut ait Ven. Card. Bellarminus (*Tom. III, lib. V, cap. I, Controversiarum*), si verbum *Missach* originem apostolicam haberet, profecto a Graecis, Syris aliisque usitata fuisset, sicuti et cetera hebraica verba adhibent quae nos retinemus, v. gr. *Amen*, *Alleluia*, *Sabaoth*, *Hosanna*. Haec hebraica verba forte a graeco sermone accepimus, Apostoli namque et primi Ecclesiae Patres graece scripsere. Sed apud Graecos nulla fit mentio vocabuli *Missa*, dum eius loco utuntur alio λειτουργία, nempe *publicum munus*. Praeterea, Origenes, Epiphanius, Hieronymus, Iustinus, peritissimi hebraici sermonis, nunquam eo vocabulo utuntur, quod admirationem pareret, si vocabulum hebraicum esset.

Alii, cum doctissimo Gabriele Albaspineo (*De Sacramento Eucharistiae, lib. II, cap. III*), retinent vocem *Missa* ab illa derivatam esse, qua populi nordici utuntur ad convivium significandum et saepe etiam sacrificium, nempe *Mess*. At verisimile non videtur Missae denominationem

a populis nordicis derivatam esse ; etenim ait Card. Bona (*Rerum Liturgic. lib. I, cap. I, § III.*) : « Cum serius ad eos Evangelii praedicatio pervenerit, illud potius ab illis acceperunt, a quibus fidei mysteriis imbuti sunt ».

Communior et verisimilior sententia est illa, quae retinet a latino *Missa*, seu *Missio* derivare, dum morem refert priorum quinque aut sex Ecclesiae christianae saeculorum, quando *disciplina arcani* praevalebat, qua dimittebantur ab Ecclesia Cathechumeni et publici poenitentes antequam inciperet pars solemnior, videlicet Sacrificium.

Usus huius vocis vetustissimus est, et revera in quadam S. Pii Pp. I Epistola ad Iustum Episcopum Viennensem, data sub anno 166, haec verba invenimus : » Soror nostra Exuperia, si bene recordaris, titulum domus suae pauperibus assignavit, ubi nunc commorantes missas agimus ». Et in alia S. Cornelii Papae Epistola ad Lupicinum, pariter Viennensem Episcopum, circa annum 254 scripta : « Non licuisse tunc Christianis neque in Cryptis notioribus publice *Missas* agere propter acerrimam persecutionem ».

Ad primam quaestionem transeuntes, quam quatuor in partes dividimus, perpendemus : *a*) Quotuplex sit Missarum denominatio *ratione rituum ?* Sensus verborum «ratione rituum » ambiguitate laborat, potest enim intelligi pro diversitate Liturgiarum, quae in Ecclesia seu latina seu graeca inveniuntur v. gr. ritu Mozarabico, Ambrosiano, Gallicano, Dionysiano, Patriarchino, Illyrico etc., aut pro diversitate rituum, qui in Missae celebratione adhibentur. Haec postrema hypothesis verior videtur ; de hac sermo noster erit, et ne fusiori indulgeamus calamo, iuxta notabiliores denominationes tantum, quae sunt : *Missa solemnis, Missa cantata* seu *media* et *Missa lecta* seu *secreta*.

Missa solemnis, seu *alta*, est illa quae cum Diaconi et

Subdiaconi nec non aliorum Ministrorum inferiorum assistentia celebratur. Vocatur etiam alta, quia magna eius pars alto vocis tono cantatur. Haec dici potest antiquior Missae forma quam novimus, est enim apostolicae institutionis; uti videre est ex quadam S. Procli Archiepiscopi Epistola : « Etenim postquam Salvator noster in coelum assumptus est, Apostoli priusquam per omnem terram dispergerentur, conspirantibus animis, convenientes ad tota die orandum convertebantur, et cum multam consolationem in mystico illo Dominici Corporis Sacrificio positam invenissent, et longa oratione *Missam decantabant,* haec enim divina sacra una cum docendi oratione coniuncta caeteris rebus anteponenda existimabant ».

Missa cantata, seu media, a solemni differt in hoc, quod loco Diaconi et Subdiaconi, duo, aut etiam unus, Acolythi inserviunt.

Missa lecta, seu secreta ea est quae dicitur submissa voce, absque sacrorum Ministrorum interventu et absque cantu. Haec quoque magna gaudet antiquitate, invenimus sane in *charta Ferrici de Cluniaco, apud Miraeum* (*Tom. II, pag. 1345*) haec verba : « Alii vero quinque Beneficiati non hebdomadarii celebrabunt per turnum singulis hebdomadis viginti *bassas missas* ».

b) Alteram quaesitus partem perpendentes, inveniemus, Missam, *ratione loci*, vocari Privatam, Conventualem, Nauticam et aliis minoris ponderis nominibus.

Missa privata, in quantum opponitur ad solemnem, illa est, quae private celebratur, idest absque cantu, uno tantum clerico inserviente, duobus tantum luminibus accensis, et generatim *plana* et *lecta* vocatur, de qua iam diximus. In quantum vero a publica distinguitur, eam audit in qua aut solus Sacerdos communicat, aut privato in loco celebratur. Missa privata antiqua et ipsa est; au-

diatur Bona (*Rer. liturgic. lib. I, cap. XIV*) : « Semper viguit in Ecclesia privatae Missae, uno saltem praesente et ministrante, laudabilis consuetudo, quam Haeretici Misoliturgi aliquando prohibitam fuisse nunquam poterunt demonstrare ». Refert autem (ipse Bona) testimonium Tertulliani (*Lib. de fuga in persecutione, cap. XIV.*) « Si colligere interdiu non potes, habes noctem. Non potest discurrere per singulos, fit tibi et in tribus Ecclesia ». Quod ille commentans, continuat : « Idem est ac si diceret si die lucescente, atque omnibus congregatis celebrare non potes, noctu celebra et *privatim*, etiamsi vel tres soli praesentes sint ».

Missa Conventualis potest aliqua ratione sub hac comprehendi enumeratione, quippe quae extra Cathedrales Ecclesias, seu Collegiatas, seu Regularium Ordinum celebrari non valet. In Concilio Toletano, anno 1565 celebrato, iam sermo est de huiusmodi Missis, tamquam de re longe remota aetate usitata : « Quoniam Missa Conventualis, ad quam omnes olim convenire solebant, magna celebritate peragenda est,..... statuit synodus, ne in diebus Dominicis, et festis colendis, a tempore decantatae Epistolae usque ad ipsam Communionem, Missae privatae in Ecclesiis celebrentur ».

Missa Nautica, nunc vetita, ea erat, quae super navibus celebrabatur, absque Consecratione et Communione, quia ex maris instabilitate periculum semper imminebat pretiosissimi Sanguinis effusionis. Haec Missa vulgari voce vocata fuit etiam *sicca*, quia nimirum careret potiori parte. De hac, ut nonnullis videtur, sermo fit in actibus Concilii Carthaginiensis III, saeculo IV, ubi legitur (*Canone XXIX*) : « Ut Sacramentum altaris nonnisi a ieiunis hominibus celebretur, Defunctorum vero commendatio *solis orationibus fiat*, si illi qui faciunt iam pransi inveniantur ».

Missa publica diversimode considerari potest, sive ratione loci in quo celebratur, sive ratione astantium. Huic postremae tantum intendentes, tertiam quaesitus partem attingimus.

c) Iuxta Gavantum et Meratum (Commentarium), Missa publica illa diceretur, ad quam non modo interest promiscue sexus uterque, sed etiam communicat. Cardinalis Bona (*Rer. liturgic. lib. I, cap. XIII*), de ea loquens, ait: « Porro haec Missa publica dicta est, non a loco, quia olim in Cryptis, abditisque ac remotissimis locis agebatur, sed a conventu populi circumstantis, offerentis et communicantis ». Ipsa quoque antiquissima invenitur, et re quidem vera Plinius, ad Traianum scribens (*Lib. X, Epist. 97*), de Christianis loquitur, qui certis quibusdam diebus antelucano tempore coadunabantur, his verbis : « Quod soliti essent stato die ante lucem convenire, carmenque Christo quasi Deo dicere secum invicem ».

Missa Catechumenorum, nomen adepta est a dimissione Catechumenorum et publicorum Poenitentium, quae prioribus saeculis fiebat, antequam solemnior Missae pars inciperet, nempe *Sacrificium*. Catechumeni in quatuor classes dividebantur : Audientium, genua flectentium, competentium et electorum. Verumtamem apud Patres generatim distinguebantur in Catechumenos et Competentes. Inquit S. Isidorus (*De divinis Officiis, lib. II, cap. XXI*): « Competentes sunt qui iam post doctrinam Fidei, post continentiam ad, gratiam Christi percipiendam festinant; ideoque appellantur Competentes, id est, gratiam Christi petentes; nam Catechumeni tantum audiunt, necdum petunt ». Cathechumeni cogebantur ab Ecclesia exire statim post Evangelium aut post concionem; Competentes (iuxta Meratum *Comment. in Gavant.*) permanebant usque ad Consecrationem exclusive. Sequens Missae pars, ab Offer-

torio ad finem, nuncupabatur Missa Fidelium, quia baptizati tantummodo, seu Fideles assistere poterant. Ivo Carnutensis (*Epist. 219*) eam vocavit Missam Sacramentorum, in ipsa enim magnum Altaris Sacramentum conficiebatur.

Missa Parochialis, aliquo sub aspectu, ad hanc classem rediri potest ; Meratus (*loc. cit.*) eam dicit : « Conventus Fidelium, in quo preces publicas, et Sacrificium offerunt ministerio Pastoris, discuntque ab eo, quae vitare, vel quae praestare debeant ad propriam salutem, et proximi aedificationem ». De hac Missa Concilium Tridentinum (*In decreto de observandis et evitandis in Missae celebrationem, Sessione XXII.*) ait: « Moneant etiam (Episcopi) eundem populum, ut frequenter ad suas Parochias saltem diebus Dominicis et maioribus festis accedant ».

d) Quarto inquiritur, quid de Missarum antiquitate in latina et graeca Ecclesia dicendum ? — De latina Ecclesia satis sunt ea quae diximus, alias partes explanantes ; relate autem ad Ecclesiam graecam invenimus duas diversas adhibitas Liturgias, illam nempe S. Basilii, aliamque S. Ioannis Chrysostomi. Ante S. Basilii aevum, Missa celebrabatur, quae a S. Iacobo Apostolo nomen habuit, sed quia tunc homines innumeris curis affecti nequibant aut nolebant longiori eiusmodi Missae interesse, expeditiori studuit illius celebrationi providere, et sane ita S. Proclus scribit: « Magnus Basilius hominum secordiam et in deterius prolapsionem conspicatus, ac proinde longinquitate productae Missae pertaesos; non quod ipse supervacaneum quidquam vel nimis longius productum in ea foce arbitraretur, sed ut pariter tum simul orantium, tum audientium ignaviam ex longo illo temporis intervallo praecideret, breviorem recitandam tradidit ». Haec Missa dicitur tantum in Dominicis Quadragesimae (excepta Dominica Palmarum) Feria V maioris hebdomadae, Sabbato Sancto, Vigiliis Na-

tivitatis et Epiphaniae Dominicae, et in festo S. Basilii. Ceteris diebus Missa celebratur S. Ioannis Chrysostomi, de qua ita citatus S. Proclus illius discipulus et successor in episcopatu: « Haud vero multo post *Basilium*, Pater ille noster aurea praeditus lingua Ioannes de ovium salute, ut pastorem decet, strenua cura solicitus, naturae humanae secordiam ignaviamque respiciens, fibras omnes ac radices satanici pretextu huius prorsus voluit evellere. Et idcirco multa praecidit, et concisiori pressiorique oratione Sacrum conficiendum statuit, ne sensim homines, qui libertatem quandam et inertiam, quam maxime complectuntur, fallacibus adversarii rationibus decepti, ab eiusmodi Apostolica hac et Divina absterriti traditione eam omitterent, quemadmodum hoc ipsum multis, variis saepe in locis, accidisse ad hunc usque diem deprehendimus ».

II. Alteram, quae proponitur, quaestionem aggredimur: Quodnam principium, vi rubricae, Missam dirigat, quod attinet praescriptas preces, post illam dicendas vel omittendas?

Rubrica in tabellis inscripta pro Precibus, quae Missam sequi debent, ita legitur: « Preces iussu Leonis Papae XIII in universis Orbis Ecclesiis post privatae Missae celebrationem flexis genibus recitandae ». In Rubricis Missalis generalibus unica haec habetur distinctio Missarum, nempe privatae, aut Conventualis et solemnis; privata, hoc est sine cantu, solemnis cum cantu; hinc deducitur preces in casu dicendas esse post quascumque Missas non cantatas. Excipe Missam Conventualem, quae alicubi ex privilegio non canitur, et, eo in casu, naturam suam solemnis non amittit.

III. Quid de singulis in casu expositis iudicandum? Caeremoniarius Collegiatae Ecclesiae sustinens parochialem Missam esse privatam recte iudicavit: optime in *Epheme-*

ridibus Liturgicis proposito dubio (*e Dioecesi Labacensi, Octob. 1894*) : « Missae parochialis, Neopresbyteri, Sacerdotis iubilaris, possuntne, licet sine cantu, haberi ut solemnes, quatenus omitti in iis possunt preces imperatae a Pontifice post Missam lectam ? » Responsum fuit *negative*. Insuper Parocho non suffragatur nova Missae *semi-conventualis* appellatio, pro Missa parochiali adhibita, quia ex eo quod Conventualis, ut diximus, aliquando sine cantu celebretur, non sequitur alias quoque Missas planas privilegiatas excogitari posse, id enim per accidens evenit, ideoque Sacra Rituum Congregatio in una *Ordinis Capuccinorum* (*17 Decemb. 1888, ad VIII.*) ad dubium : « Utrum Missae Conventuales sine cantu considerari possint veluti solemnes sive quoad Collectas, sive quoad preces in fine Missae ex mandato SS.mi Domini Nostri Leonis Papae XIII recitandas, sive quoad numerum cereorum in altare accensorum ? » respondit *Affirmative*.

Quoad litanias, quas Parochus praemittere solet unoquoque Sabbato precibus imperatis, etsi devotioni populi faveat, non debet continuare namque; talis praxis opponitur praecepto dicendi immediate post Missam preces easdem.

Sed et versa vice Parochus iure redaguit Iulium quod Neopresbytero ac Sacerdoti iubilari Sacrum private facientibus praescriptas preces omittere permisisset, etenim ; uti ex casus expositione manifestum fit, Missa a Neo sacerdote celebrata et a Canonico quinquagesimum renovante privata erat, quantumvis aliquali pompa distincta, ideoque obligatione teñebatur uterque preces recitandi ex Summi Pontifici iussu.

DUBIORUM LITURGICORUM SOLUTIO

I. *E Montepessulano.* **De Ecclesia quadam uti propria habenda.** Si ab Ordinario committatur alicui Communitati directio Seminarii maioris dioecesani, quod habeat Ecclesiam seu Cappellam publicam, haberi ne haec potest, saltem de facto, tamquam propria dictae Communitatis, quamvis in gratiam Clericorum sit erecta ?

Resp. Affirmative, salvo meliori iudicio; et adm. Rev. consulentem ante omnia remittimus ad ea, quae alibi super negotio simili exposuimus (*Ephem. 1897, pag. 303 et seq. dub. IV*). Equidem non dubitandum, Cappellam, de qua in casu, esse in gratiam alumnorum praefati Seminarii, Seminarium autem esse dioecesanum, consequenter ad Dioecesim Cappellam ipsam pertinere. At eo ipso quod Seminarii gubernatio, directio, instructio alicui Communitati concreditur ab Episcopo loci, statim illud transit velut in dominium eiusdem Communitatis. Istud autem quasi-dominium versatur circa ea omnia, quae dictae Communitati committuntur ab Episcopo, a quo dependet : adeo ut gubernare, dirigere, instruere illa debeat iuxta regulas pro Seminario statutas. Ex quo sequitur, universos alumnos a Superioribus, quos ad relativa munera obeunda Communitas destinaverit, immediate dependere. Seminarium ergo, non quidem quoad muros materialiter, sed quoad regimen, ad Communitatem spectat, cum dependentia intelligas ab Episcopo, qui altam sibi directionem servat. Hinc proinde ipsamet Cappella, quod functiones attinet usumque, veluti eiusdem Communitatis fit propria, adeo ut, sicut in Seminario, ita in ea-

dem Cappella, sola Communitas per relativos officiales, dirigere, praecipere, ordinare, prohibere valeat, et ad obedientiam alumnorum verum propriumque ius habeat. Id autem intendit ipse Episcopus, cum Seminarium committit Communitati, secus commissio ipsa velut irrisoria foret, nulliusque utilitatis. Exemplum sumi potest ab Ecclesia parochiali, quam alicui Communitati Episcopus ipse concredere potest. Dicta Ecclesia ad territorium pertinet, in quo iurisdictionem Episcopus exercet: Ecclesia consequenter ad Episcopum pertinet, cum de territorio, seu de Dioecesi sua sit. Verum, Ecclesia Communitati concredita, veluti propria huius evadit, et consequens est, ut subditi paroeciae obedientiam praestent ipsi Communitati, cuius est per parochum ab illius Superioribus electum, regere gubernare, instruere etc. Ecclesia parochialis est in gratiam fidelium, qui sub illa degunt, et ad Dioecesim spectat; sed vero id non impedit, quominus ad Communitatem pertineat. Atque ita similiter; cappella pertinet ad Seminarium, quod est Dioecesis; sed hoc non impedit, quominus ad Communitatem quoque de facto pertineat, cui ab Episcopo est concredita, sitque veluti illius propria.

Inferes: Alumnos dicti Seminarii, quoadusque sub disciplina manent dictae Communitatis, seu quatenus alumnos, teneri ad Calendarium Communitatis, sub cuius regimine sunt, sive quoad Officium sive quoad Missam. Etenim cum Communitate, a qua regitur, seu cum magistris, directoribus, Rectore etc. unum corpus efficiunt: adeo ut ipsi, qui sub illius potestate sunt, directum corpus, isti, qui Superiores sunt corpus directivum efforment; nil ergo rationabilius, quam ut subditi Superioribus suis se conforment. Sed oppones: eiusmodi alumni ad Episcopum spectant, quatenus Dioecesis caput; ergo ad Calendarium Dioecesis tenentur. Sed reponimus: alumnos ad Episcopum,

quatenus Dioecesis caput, spectare hoc sensu, quod altae illius directioni subiaceant, ita ut de iis valeat opportuno tempore ad Dioecesis utilitatem pro sua prudentia disponere, concedendum est : eo vero sensu ad Episcopum spectare, ut hic et nunc Calendario Dioecesis subiaceant, negari potest. Quia hic et nunc ab ipsomet Episcopo sub disciplina Communitatis positi sunt, ut ab ea dependeant: disciplina autem et dependentia postulant, ut Calendarium Communitatis sequantur, sicque internus ordo inter inferiores et superiores exacte servetur. Quod pluribus exemplis in praxi confirmatur. Seminariorum nempe Communitatibus aliis commissorum, tot Collegiorum ecclesiasticorum, et scholarum Apostolicarum (1).

Ceterum, si oppositum admittere velis, sequeretur, duplex Calendarium adhibendum esse in Seminario: alterum pro Communitate, alterum pro alumnis. Hinc nunquam Superiores praeesse alumnis possent in recitandis vel decantandis divinis praescriptis Laudibus : nisi sustinere audeas, Superiores se conformare debere inferioribus, quod maxime in casu veluti absurdum foret. Inordinatio succresceret, si ex Officio ad Missam considerandam gressum facias. Cum enim duplex Calendarium in Ecclesia sit vetitum, quale nam esset sequendum ? Communitatis an alumnorum ? Exteri, qui in eam confluunt, cuinam Calendario conformabunt Missam ? Subiacere ne debent in Ecclesia Superiores inferioribus, cum illorum laesione iurium? Et exteris licetne Ecclesiam considerare tamquam indivi-

(1) Seminarium Gallicum in Urbe institutum, Schola Apostolica pro Sacerdotibus studiorum curriculum perficiendi causa in Urbe pariter nuper erecta, Collegium S. Lazzari, ab E.mo Alberoni fundatum Placentiae in alta Italia, aliaque similia, relativae Communitatis sequuntur Calendarium, a qua dependent.

duo, haud vero Communitati commissam ? Longe hinc rationabilius censemus, ut unicum habeatur, sicut in Seminario, ita ut in Ecclesia Calendarium, cui, ad omnes vitandas quaestiones et inordinationes, standum sit ab omnibus : hoc autem nonnisi Calendarium esse potest Communitatis.

II. *E Zupanja in Slavonia.* **De Dedicatione Ecclesiae Cathedralis sub ritu dup. 1 cl. cum octava.** In nostro Calendario approbato habetur : « Dominica proximior Calendis Octobris Anniversarium Dedicationis Ecclesiae Cathedralis, dup. I cl. (in Eccl. Cathedr. cum octava), com. Dom. Quaeritur : Utrum post verba, *in Eccl. Cathedr.*, addi debeat : *et in Ecclesiis non consecratis per totam dioecesim ?*

Resp. Res est indubia, saltem in praesenti, anniversarium Dedicationis Ecclesiae Cathedralis habere octavam in Civitate episcopali, haud vero extra *(Decr. Gen. inedit.)*. Hoc antiquo iuri apprime respondet, nam ipsemet Gavantus id docet *(Sect. cap. 5, n. 5)*. Habetur etiam Decretum *Nullius Sublacen.* 19 Sept. 1750, num. 2409-4211, quod explicite declarat, ad Dedicationem Ecclesiae Cathedralis « teneri universum Clerum ad normam Rubricarum, et quidem sub ritu dup. I classis, in civitate cum octava, in Dioecesi vero sine octava ». Hoc autem recentiori iure, uti superius diximus, renovatum est. Qua ergo de causa additamentum propositum inserendum esset in Calendario, de quo est quaestio, a S. R. Cong.ne approbato, non videmus. Sive enim Ecclesiae extra civitatem episcopalem sint consecratae, sive benedictae tantum, dictum Anniversarium sine octava recolere tenentur, prouti ius antiquum recentius confirmatum exigit. Tam enim consecratae quam benedictae extra civitatem supponuntur, et lex inter utrasque non distinguit, ut nec nos distinguere debeamus.

Sed fortasse adm. Rev. Consulens ideo censet in Ecclesiis non consecratis dictum Anniversarium esse recolendum cum octava, quia secus nullum Dedicationis festum cum octava iisdem Ecclesiis adscripti celebrarent, uti patet. At quid interest? Pro istis Ecclesiis, Dedicationis Anniversarium non habet locum, quia consecratae non sunt; ergo unicum Dedicationis Anniversarium cum octava celebrandum, videlicet Ecclesiae propriae, pro illis non datur. Excipe Dioeceses, in quibus Ecclesiarum omnium Dedicatio uno eodemque celebratur, quia hocce anniversarium, sint vel non, Ecclesiae consecratae, semper cum octava recolitur. Cum itaque Ecclesia propria praefatorum Ecclesiasticorum sit tantum benedicta, et Ecclesia Cathedralis non sit ipsorum, stricto saltem sensu, propria, in aprico est, nullum Dedicationis Ecclesiae Anniversarium ipsis esse celebrandum cum octava. Lex autem, vi cuius unium saltem Ecclesiae Dedicationis Anniversarium sit cum octava recolendum, nondum prodiit. Ergo additio, de qua in casu, facienda non est.

III. *E Dioecesi Parmensi.* **De officio ad libitum non transferendo, neque infra octavam agendo.** Anniversarium Dedicationis Ecclesiae Cathedralis occurrit hic die 26 Sept. et in Calendario pro die 1 Octobris legebatur: « Pro Civit. et suburb. De Oct. Basil. Cathedr. et pro reliq. Dioec. S. Remigii *semid. ad libit.* » Item die 5 Octobr. legebatur: « Pro Civit. et suburb. S. Remigii *semid. ad libit.* d. a. ex 1. hui. et pro reliq. Dioec. Off. votiv. cum 9 lect. et com. Ss. Mart. Recte ne?

Resp. Calendarium errat. Error consistit in Officii ad libitum translatione. Ita antiquum ius, impraesenti renovatum exigit: uti legere est praemissum omnibus Breviariorum editionibus. Namque Clemens X statuit, festa Ss. *ad libitum*, si incidant in dies dominicos, vel in quibus

alia festa mobilia celebrari debent, esse non transferenda eo anno, sed omittenda. Id confirmavit Innocentius XI Generali Decreto, extenditque insuper ad Octavas et Natalitia Sanctorum, de praecepto in aliqua Religione vel Dioecesi ex Indulto Apostolico recitanda. *Ita ut ne quidem dictis festis vel Octavis festa ad libitum tunc incidentia possint recitari, sed omitti prorsus debeant*; idem quoque agendum, si occursus sit perpetuus. Nihilominus, cum in Breviario Romano die 1 Octobris inscribatur S. Remigius, non tantum sub ritu semiduplici *ad libitum*, sed etiam *vel simplex de praecepto*, patet alterutrum esse agendum, si fieri possit. Eapropter, cum in Civitate et Suburbio die 1 Octobris agendum fuisset de infra octavam Dedicationis Cathedralis, dicti S. Remigii addenda erat commemoratio, cum IX lectione, quae ab infra octavam non excluditur. Idque tamen solum in Civitate Episcopali et Suburbio erat agendum, sed non in reliqua dioecesi, in qua dictum anniversarium sine octava recolendum est. Cumque S. Remigius transferri nequeat, sequitur die 5 Octobris non solum in reliqua Dioecesi, sed etiam in Civitate et Suburbio agendum fuisse Officium de Sacramento (inciderat enim in feriam V.), cum 9 lect. et com. Ss. Mart. Placidi et Sociorum. Itaque Calendarium recte ordinatur pro die 1 Octobris, addita tamen com. simplicis, sed pro die 5 eiusdem mensis reformatione indiget.

IV. *E Dioecesi Friburgensi.* **De non omittendis Sequentiarum strophis.** Quaeritur: An omitti possint nonnullae aliarum Sequentiarum strophis, sicut omitti licite possunt aliquae ex Sequentia defunctorum, *Dies irae?*

Resp. Non possumus, quin nostra faciamus verba cl. De Herdt, qui hac super re disserens scribit: « Missa eo modo cantari debet, quo in Romano Missali ponitur: nam S. Pius V in Bulla Missali praefixa praecipit omnibus, ut

Missam iuxta ritum, modum ac normam, quae per hoc Missale traditur decantent. Unde S. R. C. servari mandavit, in cantandis Missis adhibendas et sequendas esse editiones a S. R. Congregatione approbatas, vel exemplaria, quae authentico testimonio Ordinariorum cum illis cohaerent etc. (*Pars I, n. 109*) ». Quae ultima verba ad literam accepta sunt ex Decreto *De Guadalaxara* d. d. 21 Apr. 1873, et cantus formam proprie respiciunt. Alibi autem (n. 111) praefatus haec scribit : « A choro cantantur Introitus, *Kyrie eleison*, *Gloria*, Graduale, *Alleluia*, Tractus, **Sequentia,** *Credo*, Offertorium, *Sanctus*, *Agnus Dei*, Communio, et quaecumque Celebranti sunt respondenda. Si organum pulsetur, Offertorium et Communio submissa voce dici possunt, sed non omitti ». Haec autem ultima relata verba pertinent ad Decretum in *Montis Politiani* d. d. 10 Ian. 1852 ad 2, n. **2994** (5166). Prosequens autem in subsequenti adnotatione prima, sic ait : « Brevitatis causa nihil esse omittendum, et Missam esse cantandam prout iacet in Missali, uti S. R. C. respondet quoad Missam defunctorum (1) : idque saltem servandum, quando Missa ex obligatione cantatur (2). Unde iuxta Decreta S.

(1) Hic citat auctor Decretum, quod e nova Collectione expunctum fuit ; sed nihil officit, cum in eo dicatur, in Missis defunctorum *nihil esse omittendum, sed Missam esse cantandam prout iacet in Missali*. Est in *Turritana* d. d. 5 Iulii 1631 ad 5 ; et cum nihil habeat quod aliis Decretis adversetur, sed Bullae S. Pii V apprime cohaereat, servandum est.

(2) Haec verba *ad urgendum* posita esse credimus, non ad significandum aliqua posse omitti in Missis quae sine obligatione cantantur. Lex enim S. Pii V stat semper, stant quoque Decreta, quae nihil omittendum declarant. Vult ergo auctor significare, numquam esse aliquid de praescriptis omittendum, sed

R. Cong.nis, vel non celebrandae Missae defunctorum, vel canenda omnia, quae precationem suffragii respiciunt: qualia sunt Sequentia *Dies irae* ac Offertorium (1) ».

In suae doctrinae confirmationem auctor praedictus nonnulla Decreta citat, quae iuvat nobis referre. Est primum in *Taurinen.* d. d. 11 Sept. 1847 ad 2, num. **2959** (5118), quod sequentis est tenoris; « An pariter tolerandus sit usus, quod in Missis cum cantu praetermittatur cantus Introitus, Offertorii, Communionis, et quando post Epistolam occurrit, etiam Sequentiae? Item quod in Missis defunctorum praetermittatur cantus saltem integrae Sequentiae *Dies irae* et Offertorii? Et an post easdem Missas defunctorum, quae tamen ex nulla obligatione decantantur, praetermitti possit cantus saltem alicuius partis Absolutionis? » Iam audi responsum: « Ad 2. Negative quoad primam partem: quoad secundam vero: vel non celebrandas Missas defunctorum, vel canenda esse omnia, quae precationem suffragii respiciant ». Ergo in Missis cantatis sive vivorum sive defunctorum, **Sequentia,** uti reliquae partes, iuxta Decretum citatum, omitti non debet, sed canenda est. Cum enim lex dicat sequentiam non esse omittendam, inferre non licet, aliquas saltem eiusdem strophas omitti posse; quia partes omnes et singulae totum constituunt, quod est Sequentia; si ergo haec canenda, integre canenda est, non mutilanda. Ratio est, quia,

---

maxime in Missis ex obligatione; quia si in aliis lex offenditur, in istis praeter legem laeditur quoque iustitia, uti perpendenti patebit. Ita quae cl. De Herdt scribit concilianda credimus: secus vix a contradictione excusari posset.

(1) Omisimus aliqua subsequentia verba auctoris, quae dicunt, in Sequentia defunctorum aliquas strophas omitti posse. Ratio huiusce nostrae omissionis mox patebit.

praeterquamquod Missa cantanda est uti in Missali habetur, et ibi integra habetur Sequentia, sicut qui totam reliquit, legem integre violat, ita qui illius aliquas partes omittit, violat legem partialiter : quae tamen integre servanda est.

Alterum Decretum est in *Portus Aloisii* d. d. 9 Maii 1857 ad 1, num. **3051** (5243), quod est declarativum mox relati in *Taurinen.* cuius textum hic pariter referre necessarium est, ut conclusio nostra ex eodem Decreto illata, magismagisque pateat, simulque ut adm. Rev. consulenti innotescat, haud bene ratiocinatum fuisse in proponendo Dubio, quod discutimus. Quaesivit enim, num possent aliquae strophae aliarum Sequentiarum omitti, sicut omitti possunt Sequentiae *Dies irae :* quod in praesenti prohibitum dicendum est. En textus Decreti *Portus Aloisii :* « Num in responso a S. R. Cong.ne die 11 Sept. 1847 in *Taurinen.* ad Dubium secundum dato, quod respicit Missas defunctorum cantandas, verba illa precatio suffragii includant Sequentiam *Dies irae*, quae vix vocari potest oratio vel precatio ? Item num in dictis Missis cantari necessario debeat Offertorium ? » Responsum vero est: « Ad I. Affirmative ad utrumque ». Ergo Sequentia defunctorum utpote precatio declarata in Missis de requie cantatis debet concini, et non potest omitti: consequenter integre concinenda, iuxta Decretum in *Taurinen.* sicuti aliae.

At obiicies : Extat Decretum, permittens aliquarum omissionem stropharum huiusce Sequentiae : quid ergo ? Reponimus : Extabat quidem hoc Decretum, eratque in *Briocen.* d. d. 12 Aug. 1854, ad 12; sed e nova Collectione expunctum est, tamquam non satis cohaerens duobus aliis supra relatis Decretis, uti facile consideranti palam fiet. Haec est ratio, ob quam verba cl. De Herdt ad hoc

idem Decretum relativa nos praetermisimus. Consequenter saltem hic et nunc, Dubium nobis propositum inverti ac mutari potest, eritque veritas, videlicet: Sicut omittere non licet aliquas strophas in Sequentia *Dies irae*, ita nec eas omittere licebit in aliis Sequentiis.

BREVIORA RESPONSA

I. *Pro S. Iacobo de Chile.* In Ecclesia dicata Ss. XII Apostolis pro Oratione *A cunctis* optime adhiberi potest alia, quae prima est inter Orationes *ad libitum* in Missali. Hanc tradit regulam cl. De Herdt *(pars. 1. n. 84, 3.)* dicens: « Quod si de Patrono celebrata sit Missa, vel sit ex illis, qui in dicta Oratione exprimuntur, omittenda est eius nova nominatio; et vel nullus ad litteram N. nominandus, vel loco Orationis *A cunctis* **legenda est Oratio** *ad poscenda suffragia*, quae est prima inter Orationes *ad libitum*. Hoc autem edocet ipsamet S. R. C. in Decreto *Assisien.* d. d. 15 Maii 1819, num. **2597,** (4560).

II. *Pro Archidioecesi Friburgensi.* In concursu duorum eiusdem ritus festorum, quorum praecedens est secundarium, subsequens vero primarium, nulla est difficultas in ordinandis Vesperis. Constat ex Rubricis recentius reformatis: videlicet, integrae Vesperae de sequenti cum com. praecedentis. Hinc concurrentibus festis Impressionis Stigmatum S. Francisci (25 Sept.) et S. Thomae de Villanova (26 eiusd.), cum illud sit secundarium, istud primarium, et ambo duplicis min. ritus, Vesperae erunt de isto cum com. illius.

INDEX

CAPITUM ET ARTICULORUM CUIUSQUE MATERIAE

HUIUS XII TOMI

Archaeologia Sacra

PAG.

Proloquium 337
I. De nominibus Christianorum 339
II. De Christianae religionis propagatione 419
III. De Christianorum officiis 485

Dubiorum liturgicorum solutio scientifica.

Ex Hollandia. Super Anniversario Dedic. Ecclesiae. 38
Ex eodem loco. Super eadem materia. 39
Ex eodem loco. De lectionibus II nocturni infra quamdam **octavam**. 40
Ex eodem loco. De octava S. Petri ad Vincula privilegiata. 41
Ex eodem loco. De commem. officii vot. in Missa non correspondenti dicto officio ibi
Ex eodem loco. De quibusdam additionibus ad lectiones II noct. . . . . ibi

PAG.

Ex eodem loco. De concurrentia Dedic. atque Tituli 42
Ex eodem loco. De concurrentia duarum octavarum inter se. . . . . ibi
Ex eodem loco. De lectionibus II noct. SS. Ursulae et Soc. . . . . ibi
E Gallia. De occursu inter festum Dedic. Basilicarum SS. Petri et Pauli ac festum cuiusdamSancti dupl. mai. ritus , et primarium. 43
E Germania. De Anniversariis, quae talia non sunt 46
E dioec. Mediolanensi. De ritu ambrosiano sequendo a Regularibus in **Ecclesiis** ambrosiani ritus. . . . 48
Ex Hollandia. De commem. oct. indultae in Dominicis Quadrag. 49
E variis Italiae locis. De significatione Districtus Urbis 52
Ex Hispania. Instantia circa

PAG.

doctrinam de computatione dierum impeditorum in applicatione et interpretatione Decr. 13 Febr. 1892 86

Ex Hollandia. De omissione commem. duplicis simplificati in II. Vesp. diei oct. Corporis Christi. . . . 89

Ex eodem loco. De Anniv. Dedic. non agendo a Clero extraneo 91

E Belgio. De Missa exequiali in die seq. sepulturam ad vesperam 93

E Cracovia. De Matutino et Laudibus defunct. in anniv. sine Vesperis . . . 94

Ex Anglia. De altari mobili in fixum convertendo . . 96

E Catania. De SS. Sacram. non transferendo in aliud altare, occasione tridui vel novendialis 98

E Sabaudia. De festo Titul. Eccl. B. in die oct. divi Laurentii non celebrando 162

Ex Algeria. De Oratoriis publicis et semipublicis quoad conformitatem Missae cum eorum Calendario 164

Ex Oeniponte in Austria. De altera Missa exequiali in die obitus 166

E dioecesi Millevitensi. De incensatione facienda in

PAG.

Missis solemnibus, SS.mo exposito 168

E Curenna. De concursu Dedic. Basilicarum SS. Petri et Pauli cum die oct. Dedic. omnium Eccles. dioeceseos 170

E Bohemia. De concursu inter Dedic. omnium Eccles. consecratarum et festum SS. Redemptoris . . . 210

Ex oppido Zabarcos in Hispania. De festo SS. Nominis Iesu perpetuo transferendo 212

Ex eodem loco. De orationibus in Missa defunct. quando intentio offerentis nescitur 214

E Comitatu Tirolensi. De occursu inter festum mobile et fixum 216

E Rossia. De cantu in lingua vernacula tempore processionum 217

Ex urbe. De praecedentia quarundam Commemorationum 219

E Religione Belgica. De Anniversariis late sumptis . 220

E Rossia. De cuiusdam Decreti extensione, quoad vim obligandi 297

E Florentia. De Missa Parochiali convenienti cum

PAG.

officio Eccles. regularis . 302
Ex Hollandia. De Missa post acceptum nuntium obitus 304
E pluribus regionibus. De extensione privilegii unius Orationis in Missis defunctorum 306
Ex Ariano in Apulia. Nonnulla dubia super Associatione Cadaverum Confratrum Tertii Ordinis S. Francisci 353
E Dioec. Atrebatensi. De Missa conformi officio loci in Hospitalibus Sororum Franciscalium 354
E Mantuana Dioec. De precibus in Rituali praescriptis post Communionem infirmi 358
Ex Hispania. De doxologiae qualitate in hymnorum coniunctione pro S. Ioanne Cantio 359
E Corleone. De festo S. Michaelis Arch. Titulari . . 360
E Nola. De Ecclesiola subterranea non consecranda, consecrata superiori . . 361
Ex eodem loco. De benedictione aquae et salis pro consecratione altarium breviori formula 364
E Segovia. De lectionibus I Noct. in quodam Sabb. ante Septuagesimam . . . 366

PAG.

E Florentia. De Calendario Oratorii semipublici . . 442
E Senogallia. De antiphonis duplicandis in Anniv. late sumptis 443
Ex eodem loco. De festo Titulari alii praeferendo inferioris Ordinis 444
E Nola. Iterum de non consecranda Ecclesiola subterranea 446
E Mexico. De concursu inter festum S. Angeli Nationis Custodis et SS. Rosarii 447
E Bergamo. Super Decreti « Aucto » exceptionibus quoad Missas de Requie . 450
E Portu Divite. De die translationis pro festo SS. Nominis Iesu impedito . . 452
E Senogallia. De 3.ae Orationis qualitate in Missa pro sponsis, speciali occurrente casu. 455
E Monte Politiano. De cuiusdam Decreti authenticitate 457
E Pechino. De altaribus portatilibus contra ius consecratis, nunc iterum et quomodo consecrari queant . 458
E Senogallia. De non adhibenda palmatoria in Sabb. Sancto ante Missam solemnem. 504
E Monte Politiano. De con-

PAG.

cursu inter festa et octavas secundarias Deiparae. 506
Ex Urbe. De privilegio Regularium benedicendi Ecclesias suas 507
Ex Austria. De quodam anniv. defunctorum, an stricte an late sumptum sit . 509
Ex Hispania. De duobus festis eadem die occurrentibus quodnam praeferendum. 511
Ex oppido Zabarcos in Hispania. De officio Titularis Paroeciae ex parte Parochi et Coadiutorum illius . . 513
Ex Archidioec. N. De Oratione pro Archiepiscopo eligendo non dicenda . . 516
E Senogallia. De 3.ae Orationis qualitate in Missa pro Sponsis, speciali occurrente casu. 568
Ex oppido Zabarcos in Hispania. De Missa de Requie, in Parocho facultate binandi praedito et paupere, in die festo . . . 570
E Mantua. De benedictione non cantanda a Neopresbytero in sua prima solemni Missa 574
E Bohemia. De mutando tertio versu ad « Iste Confessor » in casu speciali . 577
E Tectis in Belgio. De festo

PAG.

duorum Patronorum ad modum unius non celebrando 607
E Senogallia. De Festo SS. Sociorum separando, et lectionibus iterandis in festo eorumdem 611
Ex Hispania. De Praefatione in Missa vot. tempore Quadrag. 614
Ex N. N. De lect. I Noct. in quodam singulari casu 657
E Monte Callerio. De absolutione praeceptiva vel facultativa post Missam de requie 659
E Ferraria. De Missis privatis de requie, sine cantata, pro die obitus . . 660
Ex Borna in Saxonia. De Missa conformi Calendario loci, non Celebrantis . 663
Ex eodem loco. De facultate agendi Missas in Oratorio domus religiosae . . . 664
E Curenna. De qualitate 3ae Orationis in Missa de infra octavam, alia octava occurrente 667
E Labaco. De tempore, quo incensandus est Subdiaconus in Missa Pontificali . 668
E Zupania in Slavonia. De festis translatis, num sint secundaria 669
E Montepessulano. De Eccle-

PAG.

sia quadam uti propria abenda 709
E Zupanja in Slavonia. De Dedicatione Ecclesiae Cathedralis sub ritu dup. 1. cl. cum octava 712
E Dioecesi Parmensi. De officio ad libit. non transferendo neque infra octavam agendo. 713
E Dioecesi Friburgensi. De non omittendis sequentiarum strophis 714

Ad quaedam liturgica dubia breviora responsa

1. Pro Africa 55
2. Pro eodem loco . . . ibi
3. Pro eodem loco . . . 56
4. Pro eodem loco . . . ibi
5. Pro eodem loco . . . 57
6. Pro eodem loco . . . ibi
7. Pro Anglia 58
8. Pro N. N. . . . . ibi
9. Pro Brixia 59
10. Pro Austria 101
11. Pro eodem loco . . . 102
12. Pro eodem loco . . . ibi
13. Pro Oppido Vivario Segobricensi . . . . . ibi
14. Pro Germania . . . 103
15. Pro Patavio 104
16. Pro Hollandia 105
17. Pro S. Ioanne in Sabaudia 173
18. Pro Hibernia 174
19. Pro Hollandia . . . . ibi
20. Pro Hispania 175

PAG.

21. Pro Hollandia . . . . ibi
22. Pro dioecesi Briocensi . 222
23. Pro Regione Belgica . ibi
24. Pro Hollandia . . . 224
25. Pro Melita . . . . . ibi
26. Pro Curenna . . . . ibi
27. Pro Olisipone 225
28. Pro oppido F. in Hibernia 308
29. Pro Hungaria 309
30. Pro Hibernia . . . . ibi
31. Pro Bamberga . . . 310
32. Pro Legione in Hispania 311
33. Pro Verona . . . . ibi
34. Pro Gallia 312
35. Pro variis locis: super sacris Caeremoniis . . . ibi
36. Pro Olisipone 370
37. Pro America 371
38. Pro Gallia 372
39. Pro America 373
40. Pro Cherio . . . . . ibi
41. Pro Gallia . . . . . ibi
42. Pro Bohemia 374
